

ad talem cognoscibilitatem spectat. Ad aliquod autem objectum spectat non solum quidditas, et natura ejus, quæ ex suis prædicatis quidditativis constat, sed etiam id quod ratione illorum convenit, aut ex ipsis nascitur: si enim hæc omnia ex vi cognitionis talis rei attingantur, nihil de tali re latet, et omnes fines, seu termini ejus conspiciuntur, non solum termini intrinseci quidditatis, et essentialis, sed etiam termini extrinseci, ad quos respicit, et dicit ordinem ex se, vel quia potest ea facere, vel quia potest ea recipere ex ordine naturæ suæ. Ergo talis cognitio habet quiddid requiritur ad comprehensionem, et convenit illi definitio comprehensionis, quod nihil latet videntem, et fines rei circumspicit, et hoc ex vi cognitionis, et penetrationis ipsius rei, non seorsum videndo unum, et seorsum aliud, sed omnia illa ut pertinentia ad unum. Quod vero videantur non solum ea, quæ ex vi tali naturæ sibi convenient, aut proveniunt, aut in tali natura fundantur, sed etiam quæ ex quocumque extrinseco agente, vel potentia ei provenire possunt, hoc non requiritur simpliciter ad comprehensionem, sed si detur erit ad perficiendum comprehensionem ipsam, et quasi ad super comprehensionem. Et ratio est, tum ex dictis, quia alias si hoc requiretetur, solus Deus posset comprehendere etiam minimam creaturam, quia solus potest comprehendere ejus capacitatem obedientialem, et quid in illa vel per illam Deus facere potest, quia hoc innititur infinitæ omnipotentia Dei, cui obedire potest creatura in omnibus quæ non implicent contradictionem. Tum etiam quia ea quæ per potentiam obedientialem conveniunt creaturæ excedunt ordinem ipsius naturæ, et sunt extra omnes terminos naturalis habitudinis ejus,

ergo qui omnes terminos naturalis habitudinis cognoverit, ita ut nihil de his quæ intra limites naturæ sunt lateat videntem, talis totum quod naturæ est comprehendit, hoc autem ad comprehensionem sufficit, quia nihil relinquatur de his quæ ad talem naturam pertinent, ergo totum quod naturæ est exhauritur sive intrinsece sive extrinsece ad eam pertineat. Est ergo comprehensio naturæ ut natura est, licet non attingat id quod ultra naturam est, vel supra, hoc enim pertinet ad alios terminos, ergo ad aliam comprehensionem, et non ad id quod debitum est tali naturæ.

X. Dices: Ergo comprehensio alicujus rei non admittit latitudinem, nec poterit una esse major altera, si quidem ut sit comprehensio requiritur, quod omnes terminos tales rei attingat, sive eorum quæ extrinsece ad se pertinent, et hoc sufficit ad comprehensionem, quia quiddid ultra hoc cognoscitur de aliqua re, est ultra comprehensionem, ergo intra limites comprehensionis non datur magis, vel minus. Et tamen constat Angelum superiorem perfectius intelligere, et comprehendere lapidem, v. g. quam Angelum inferiorem, qui etiam comprehendit illum, et neuter potentiam obedientialem lapidis, ergo ista ratio comprehensionis non bene a nobis explicatur. Respondetur in duobus posse comprehensionem alicujus rei admittere latitudinem. Primo, in ipso modo cognoscentis se tenet, vel in ipsa ratione formali, quia tenditur in tale objectum comprehensum; potest enim majori claritate, et simplicitate etiam intra terminos naturales unus intellectus comprehendere aliquam rem quam alius, quia fortiori lumine utitur, sicut unus oculus habens majus lumen perfectius videt quam alter eamdem rem, etiamsi non plura in

illa videat, sed intensius idem. Et constat quod per lumen supernaturale scientiæ infusæ, melius res naturales comprehendebat Christus quam Angeli, quia altiori lumine videbat, et sub ratione formali perfectiori. Secundo, potest comprehensio alicujus rei esse major in uno quam in altero, etiam ex parte rei visæ, et comprehensæ, quia scilicet altior intellectus non solum videt id quod ex natura talis rei nascitur, vel illi convenit quod etiam inferior Angelus comprehendit, sed etiam videre potest ea, quæ circa talem rem operari possunt aut efficaciam superioribus causis creatis, Angelus enim superior potest aliquid facere circa inferiorem creaturam, quod non potest Angelus inferior, et illud quod superior potest, perfectius videt ipse superior quam inferior. Et licet hoc non requiratur simpliciter ad comprehensionem, reddit tamen illam perfectiorem, et majorem quasi supercomprehendendo; qui autem etiam intelligit ea, quæ rei convenire possunt penes obedientialem potentiam ad Deum, multo perfectius comprehendit.

XI. Ex his deducitur manifeste, quomodo Deus sit incomprehensibilis a quocumque intellectu creato quantumcumque elevato, quia ad comprehensionem, ut diximus, requiritur, quod videatur aliquid non solum quantum ad prædicata, et formalitates quæ in ipso sunt, et eo modo quo in ipso sunt, scilicet constituendo illud, sed quoad omnia etiam extrinseca quæ ad se pertinent, scilicet ut in ipso fundantur vel ab eo derivantur. Itaque non sufficit attingere perfectiones Dei ut constituunt, sed etiam ut efficiunt, vel effectiva sunt omnium quare a se derivantur. Constat autem quod cum a Deo infinitæ participationes, et infinitis modis de-

rivari possint, si comprehenderetur Deus, penetraretur omni modo quo cognoscibilis est, et consequenter infinito, ita quod non solum videretur res infinita, et modus infinitus in ipso objecto repertus, sed modo infinito, adæquando, et exhauriendo illo modo cognoscendi totam cognoscibilitatem objecti in his, quæ pertinent ad se. Hoc autem est impossibile, quia requiritur ad hoc infinitum lumen gloriæ, quo includatur, et adæquetur infinita cognoscibilitas objecti, quod repugnat, cum illud lumen creatum sit, et finitum, utpote receptum in intellectu creato, ergo repugnat talis comprehensio. Sic deducitur ratio D. Thomæ ex his quæ tradit in præsentibus articulis VII et VIII, quia articulo VII docet repugnare comprehensionem Dei, quia repugnat infinitum lumen, articulo autem VIII, quia intellectus comprehendens causam debet cognoscere omnes effectus, et omnes rationes effectuum.

XII. Sed instari potest hæc ratio, primo, quia reducit incomprehensibilitatem Dei ad incomprehensibilitatem omnium effectuum in Deo, effectus autem omnes etiam collective sunt aliquid minus. Si ergo Deus totus in se videri potest quoad omnia sua constitutiva, quæ sunt infinita per essentiam, cur non poterunt videri omnes effectus, qui sunt etiam per participationem? Secundo, reducit hoc ad rem opinabilem, scilicet quod repugnet dari infinitum lumen gloriæ. Est autem sub opinione an possit dari infinitum in actu, et non debet esse sub opinione an Deus sit incomprehensibilis. Tertio, vel cognoscuntur creaturæ ut sunt intra Deum, et sunt ipsa creatrix essentia, vel prout sunt extra Deum derivatæ ex ipso, licet cognoscantur per Deum. Si primo modo omnis creatura videtur, quia omne quod est creatrix



essentia videtur. Nec potest ibi distingui id quod est essentia divina ut constituens, et ut efficiens, quia ut efficiens pertinet ad rationem attributi, et constitutivi Dei, non potest autem videri unum attributum sine alio. Si secundo modo, ergo sumitur incomprehensibilitas Dei ab incomprehensibilitate creaturarum omnium collective, quia ex eo quod illæ videri non possunt in Deo, probatur Deum comprehendi non posse, cum tamen major infinitas sit in Deo seorsum, et per se, quam in creaturis; et antecedenter ad creaturas Dei incomprehensio statui debet; imo totum hoc conflatum ex Deo, et creaturis non addit, nec facit majus quam Deus solus, ergo qui cognoscit totum quod est in Deo, etiam poterit Deum, et creaturas cognoscere simul. Et denique, dato quod sit major cognitio qua cognoscuntur Deus, et creaturæ, quam Deus solus, illa erit major cognitio extensive respectu creaturarum non comprehensiva respectu Dei, creaturæ enim aliquid extra Deum sunt, ergo licet non cognoscantur, adhuc subsistere poterit Dei comprehensio.

XIII. Respondetur quod hæc ratio D. Thomæ non reducit incomprehensibilitatem Dei ad incomprehensibilitatem effectuum Dei in se, sed ad infinitatem Dei in se, non solum consideratum ut constituit Deum in se, et in ordine ad Deum se habet, sed ut comparative ad creaturas, quatenus sunt participationes Dei. Et hæc cognitio pertinet ad ipsum Deum, et ad excellentiam ejus, quia etiam habere se hoc modo, et sic comparari ad creaturas, magna perfectio Dei est, et eminentia. Et in hoc non potest intellectus creatus exhaurire omnem cognoscibilitatem seu omnem modum cognoscibilitatis, quem ex se fundat essentia divina, quia li-

cet videat illam in se, et infinitatem ejus, et modum infinitatis ejus, tamen non potest omnem comparisonem illius eminentiæ erga creaturas omnes attingere, et evolvere, et sic modo suo intelligendi non adæquat omne quod fundari potest in tanta eminentia. Et licet comparatio ista sit illius divinæ magnitudinis ad creaturas, non tamen est solum cognitio, aut comprehensio creaturarum, sed ipsius eminentiæ divinæ ut comparatæ ad creaturas. Et hoc est plus videre quam solum Deum constitutive, scilicet videre Deum comparative, et evolvendo omnes participationes ejus, ut ab ipso sunt, non solum ut in se extra Deum sunt.

XIV. Ad secundum respondetur non reduci hoc ad opinionem de productione rei infinitæ in numero, vel magnitudine, aut intensione, sed ad finitatem luminis, in quantum creatum, et receptum in intellectu creato. Ad hoc enim respiciunt illa verba D. Thomæ in articulo VII posita: « Cum igitur lumen gloriæ creatum in quocumque intellectu creato receptum non possit esse infinitum impossibile est, quod aliquis intellectus creatus infinite Deum cognoscat. » Quæ verba procedunt ex negatione infinitatis increatæ, seu ex affirmatione finitatis creatæ, ut creata est, non attendendo ad infinitatem aliquam ut quantitatis est, vel numeri, aut intensionis. Et quod non possit creatura aliqua talem infinitatem habere, extra omnem opinionem est, et res certissima, quia non potest esse Deus. Est autem necesse ut lumen aliquod comprehendat Deum, quod habeat infinitatem increatam, et non sit receptum in aliquo, quia non solum infinitam rem videre debet, sed modo infinito attingere, omnem ejus cognoscibilitatem exhauriendo. Unde oportet quod in

esse cognoscibili sit paris excellentiæ, et puritatis illa cognitio (non solum species, sed cognitio) cum illo cognoscibili, utpote perfecte illud adæquans, et includens, puritas autem æqualis Deo, Deus est, utpote actus purus.

XV. Ad tertium respondetur in comprehensione utroque modo videri creaturas, et ut sunt creatrix essentia, et ut ab illa essentia creatrice derivantur in se, et in participatione ad extra, non quomodocumque, sed per adæquationem cum cognoscibilitate divina, et exhauriendo omnem cognoscibilitatem ejus. Unde licet tota creatrix essentia videatur ut est in se, et ut efficiens est quantum ad perfectionem absolutam potentiæ illius, seu virtutis efficientis in se, et ex parte subjecti in quo est, non tamen comparative secundum suam eminentiam, et ut tangit objectum quod participatur a se, sic enim est inexplicabilis, nec ad purum evolvi potest. Et cum instatur quod hoc est sumere incomprehensibilitatem Dei ex incomprehensibilitate creaturæ, distingo; ex incomprehensibilitate creaturæ ut terminus, et objectum divinæ incomprehensibilitatis, concedo; ex incomprehensibilitate creaturæ, ut subjecti talis incomprehensibilitatis, ita ut entitas creaturæ sit incomprehensibilis, et inde reddat Deum incomprehensibilem, nego. Itaque quia creaturæ pertinent extrinsece ad Deum, ut terminus factibilis ab eo, non potest Deus comprehendi, nisi videantur creaturæ, ut aliquid derivatum a Deo, et pertinens ad Deum: quod non est incomprehensibilitatem Dei sumi a creaturis, sed non posse comprehendi Deum non explicatis, et attactis omnibus creaturis, eo quod comprehensio aliqujus rei non solum attingit quidquid quidditatem ejus constituit, sed etiam quidquid ad rem pertinet,

aut ab ea provenit, etiamsi extrinsecum ei fit, creaturæ autem a Deo proveniunt, et ad Deum pertinent. Et cum dicitur quod Deus, et creaturæ non faciunt aliquid melius quam Deus, concedo, id enim pertinet ad perfectionem rei, quæ non accrescit ex creaturis Deo, sed minus sunt creaturæ in se, quam in Deo. Cæterum Deus cognitus solum in se, aut cognitus cum tanta adæquatione, ut ex vi illius in creaturas se explicet, et comparatione ad eas explicetur, meliorem cognitionem dicit ipsius Dei, quam si sine tali comparatione, et adæquatione attingeretur, esto Deus solus in se non sit minus perfectus, quam cum creaturis, quia continet illas, quam continentiam cognitio quæ magis explicat, perfectior est. Neque hoc est solum magis extensive se habere ad creaturas, sed etiam comprehensive ad Deum, licet creaturæ extra Deum sint, quia comprehensio, etiam extrinseca rei ex vi visionis comprehensivæ attingit, si ad talem rem pertineant aut ab ea proveniant.

XVI. Ex his respondetur ad rationem dubitandi a principio juxta doctrinam S. Thomæ in hoc articulo VII, in solutionibus argumentorum. Dicimus ergo, quod visio quidditativa Dei est visio totius Dei, ita ut nihil ejus dicat quidquid est Dei, prout constituit Deum, et habet esse in Deo, si autem nihil ejus dicat quidquid est a Deo, et habet esse a Deo, licet non in Deo, sic multa Dei latent eum qui videt Deum, ita ut licet videat totum Deum ut est in se constitutum, et omne quod habet esse in Deo, non tamen videt ipsum Deum ut efficientem, et causantem omnia quæ facit, et multo minus omnia quæ facere potest, quia licet videant potentiam illam esse infinitam, et infinita posse, sed non evolvunt et explicant quidquid